

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 95. (Neovidensis 1808. Nro. 94.)

*Secretum litterarum commercium inter Vivos
et vita functos*

Pater ex Campis Elysiis ad filiam in mundo
superiore.

Elysium. Meum. - Die Martis 6. Dec. 1808. (Neov. 25. Nov. 1808)

Paucis mortalibus licuit tam tranquillo animo vita decedere quam mihi, et haec animi tranquillitas nitebatur pervasione te a me rite educatum beneque provisum ad ictum esse. Tu dilecte! una fuisti consolatio mea, vota mea in te impleta sunt, nunquam occasionem dabas de te querendi, hora adhuc ante decessum meum amorem, propensionem in paterna mea intellexi consilia tuam; vale dilecte Carole; esto vir probus, utilis Civis, ibi nos rursum visuri! haec postrema mea verba ad te, lachrimis tuis movebar, quamquam nimis aegrotus essem, et ecce coeli aperti sunt, Dominus me vocavit, expiravi.

Hodie anniversarius agitur, hoc die, hac hora animam egi, quae tui memoriam refricat. O si his te affari, o si ab erroribus, quos sequeris, te abducere, O si cor, quod pro te solo vivebat, exhibere liceret! O si possem Carole! sed manum de tabula, ut spiritum recipiam.

Jam tranquillior sum, scribendo par.
 Ex mei adventus in hos campos tempore
 quotidie ferme advenas lustravi. Saepenu-
 mero incolas urbis nostrae deprehendi, quae-
 stio prima fuit: quid Carolus agit meus? —
 principio omnia laudabilia retulere, successu
 ambigūa nunciavere, tandem senex vicinus
 noster, qui falernum infundere mihi solitus,
 adventit, et absque ambagibus declarabat:
 Carolus tuus, care vicine! lusor evasit. Su-
 peri, ut obrigui! omnis tranquillitas animo
 meo expulsa, vox faucibus haesit, porro nar-
 rarat Ucalegon: maximam facultatum tuarum
 a me relictarum, quasque sudore et labore
 pro te conquisivi. O felix tempus! — tam
 improbo labore acquisivi, prodegitse, deco-
 xisse, te opificium tuum neglexisse diu noctu-
 que lusui indulgere.

Moestus Charontis cymbam reliqui, et
 beatorum sedes repetii. Omnia jam amissa
 sunt, dicebam apud me, libido ludendi mor-
 bus incurabilis est, omnis conversio vana et
 inutilis. Qui lusui animum addixit, in aeter-
 num perit. Infelix filii! 400 ducatos lusui
 primum admotus lucrifecisti, vide infelix!
 hoc lucrum te in perpetuum perdidit. Lu-
 sum repetebas, lucrum et jactura variabant,
 usque tandem verus lusor evasisti. Tam seducti-
 va est animi affectio, si semel lucrum factum,
 cupido est lucrandi iterum, et consequitur jactu-
 ra, sic fortuna acta est, lucrum captatur, cogi-
 tatque si lucrum feci, fortuna redire potest.

Sic lusor evadit, et tum fortassis quid adhuc atrocius.

Ipse homines in theatro vidi, in quo Anglicanum Drama *lusor* producebatur. Multi horrida lusoris sorte commoti sunt, animadverti horrorem, stuporem, lacrimas in vultibus. At ipsi hi, qui tantopere percussi spectaculo excessere, quorsum? ad aedem lusoriam, in qua fortuiti lusus exercebantur.

Legitur in historia celebrem Joannem Capistranum initio Saeculi XV. Norimbergae tam energice pro concione de lusu verba fecisse, ut templum egressi homines aleas, picta folia, aliaque lusoria Instrumenta pedibus ejus substraverint, vulcanoque tradiderint. Verum vix ignis desiit, jam aleae in conspectum et lucem prodierunt.

Alii viri, ipsa regimina adversus fortuitos lusus calamum strinxerunt; et sexcentis modis probatum est lusum periculosum esse, at reponit lusor: vinum perinde noxium esse; quod inebriet. Itinera non vacare periculo, quod multi iter facientes in via moriantur, verum haec argumenta aestum affectus sedare nequeunt. Haec dilecte filii! adjuncta sunt, in quibus versaris, si sensum memoriae in patrem nondum obturasti; si impensae adhuc meministi, qua haereditatem tibi relictam honeste et candide acquirere adlaboravi, si animo expenderis, ut nonnulli voluptati renunciarim, quod sumtu stetisset, audi et excipe vocem patris ex sepulcro loquentis.

Imaginare me adhuc mortali aura vesci

& tibi optimum amicum. Videor te videre ut nummos vesti immittas, quæro: in quem finem adhibere vis? ad lusum reponis, si candidus esse vis; at quæso: si jacturæ faciendæ certus fores an lusum adires? sane non.

Ergo dilecte nate! non lusus, sed lucrum est, quod affectum tuum irritat.

Juvenis! revoca animum & expende in corde quid est hoc lucrum? — sine dubio res alterius, perpende hæc verba, periculorum igitur copia aes alienum sectaris, hæc irritans est lues, qua corripiebare.

Interiora animi tui ultra penetrare volo. Si sincerus es, fateri cogeris lusoris motus animi me callere. Mensæ adstat, in qua Fortuna Dea hæc adeo inconstans favorem dispertit. Si huic præstigiatriei supplex accidere auderes, sequentibus eam alloquerere verbis: Fortuna! unum numen meum! aurum dispertis in hac mensa, pro lubitu inter adstantes, meum aurum tibi credo, precorque eorum accipiam.

O largire Dea! ut omnes jacturam, ferant, & solus ego lusum lucrer, ut mœsti & consternati jacturam deplorent, ego vero solus lucro meo adplaudam." an non hæc vota animo tuo oboriuntur?

Jam quis animo percipit id genus motus? quis vota fovet talia? quis in hoc Casu tecum comparari valet? — non audeo profari, sed quid celem? quis hac conditione

tenetur? nonne latro, qui armatus discurrit, ad viatorem cum periculo vitae expilandum?

Heu! Eheu! adhuc tempus est Carole! dilecte Carole! adhuc pater tuus sum, adhuc diligeris a me! nondum omnem hæreditatem abligurivisti, vel senex vicinus narravit; adhuc vir probus, adhuc utilis Civis evadere potes — revertere ad tuum opificium, & Deo confide: juvabit crede mihi te, & ex verigine soporeque eripieris, fortunam & prosperitatem habebis vale! P. S. Veteri meo affini salutem, adcludo politica aliquot nova; quae Caduceator noster attulit, ut sitis ejus politica extingatur.

Argus memorabilem texit descriptionem Anglicanorum conatuum occasione turbarum hispanicarum seqv. ratione: „Si argumentis auctoritas Angliæ in turbas Hispaniarum demonstranda foret, invincibilia in scriptis vulgatis typo reperirentur, quae in omnibus regni hujus provinciis dissipantur; plurima eorum indolem Hispanorum novorum adumbrant, spiritus factionum nequaquam ducit ad immolanda patriæ commoda & religionis, intimarum propensionum, & animo infixarum sensationum.

Ex postremis Ephemeridibus intelligitur Editorem Epistolæ destinatæ ad convellendam fidelitatem Coloniarum hispanicarum contemtum decori & publicæ opinionis usque extendisse, ut Angliam consolatricem humani generis & Clypeum infelicis humanitatis appellitaret. Profecto nullus datur Hispanus,

præcipuis Americano Hispanus, qui hanc declarationem Commentario illustrare non posset.

Vix Semestre elapsum est, quo Londini præda ex Buonos Ayres divisa. An non reapse rara liberalitas; Coloniam hanc tantopere expilasse, ut in distributione uni officialium numerosi exercitus Summa 168000 Fr. obveqiret? an non opus mitis & humanæ cogitandi rationis: in compitis Buonos-Ayres turbam inermium matronarum, depontanorum Senum & vagientium infantum trucidatam esse? Incolæ hujus Colonix longo tempore mansuetudinem & magnanimitatem Britannicam deprædicabant. Eorum ii, qui hodie amicos se, & foederatos Hispanorum nominant, medijs indecentissimis Colonias eorum ad seditionem excitare nitebantur; ex omnibus regionibus erroneas colligentes, ad cædis & rapinæ periodum ordiendam.

Anglicanus Gen. Dux Whiteloke reapse ideo revocatus, & ad Tribunal ductus est, quod tragœdicam Scenam imperfectam relinqueret. Ei vitio dabatur: Coloniarum hispanicam sub jugum Britann. ferre nequivisse; si aliquot annis præcedamus, alia adhuc exempla Britannix magnanimitatis reperiemus; occupatio 4 hispanicarum navium bellicarum, Cædes militum iis contentorum in medio pacis, unum eorum est, quod profecto memoria Hispanorum nunquam exoidet. Hodie quoque, quo tam mendacibus pollicitationibus tam diu morantibus suppetiis, tam perfu-

dae amicitiae credere videntur, hodie inquam eandem mentem, consilia eadem possent advertere.

Portus eorum vix Angliæ aperti erant, notabilis jam copia pessimarum mercium effusa est. Ante emolumento Insurgentium adversus commercialis Tractatus initus est, quam Expeditio Anglicana iis opem ferret, antellanam & vinum in enormi copia Anglis transcripserunt, quam bellicum commeatum obtinerent; & interea quo Ephemerides Anglicanæ exaggeratis nunciis refertæ erant, publicus conatus distinebatur exquisitione mediocri operes Hispaniarum portibus suis inferendi. Gallia fontibus subsidiorum fœderati sui parcere volens delicate continuo pecuniaria subsidia petit, horum plura Anglia intra mensem percepit, quam illa per plures annos. Quo pacto brevi advertere licebit, quid breve fœdus Anglicanum Hispaniam steterit. Tum magis beneficiis Angliæ deprædicandis pares erimus, rationibusque ducendis, quatenus bellum cum Hispania genus commerciale fuerit. Jam jam Londini causa Insurgentium vergit. Jam eorum discordiæ prodromus Cladium habentur, propediem fanaticismus, quo arma corripuere, causæ interitus eorum argumentum præbebit. Jam articulus temporis instat, quo infelix hispana gens decenter expilata Anglica magnanimitate amplius digna non videbitur.

Quantopere Galia interiora quoque negotia, turbasque in Imperio Turcico curæ habeat, seqv. Ragusa de 28. Sept. probat nuncium:

„Die 28, hujus Gen. Dux Duviéau cum 600 agmine, & Centuria tormentaria, cui Centurio Ferini præfuit, binisque machinulis bellicis egressus est Præfectus videlicet. Agietekanis a duobus frairibus multis copiis impetitus obsessusque est. Ubi gallicæ copię adpulissent. Turcæ desperantium more se defendere, ipsa tormenta cingere, nihilominus tormentarii adeo egregie jaculati, ut brevi globus totus dispersus. Unus solam gallicorum tormentariorum vulneratus, alter occubuit,

Die 18. h. m. nunciant Italica nova Gibraltaræ maximam partem hispanicarum opum, ex auro, argento & pretiosa Supellectile coacervatam esse. Omnes hispanici nobiles & divites res transportabiles eo traduxere. Baleares quoque Majorca, Minorca, Ivica partes Insurgentium secutæ, eoque res deposuerunt securitatis causa.

In hac Typographia prostant venales:

principia Politicæ, Commerciï & rei Aerariæ.
 E germanicis lucubrationibus clarissimi viri Josephi Sonnenfels Latine reddita a Wolfgango Beke, in Reg. Magno-Varadinensi Academia scientiarum Politico-Camerarium Juris cambialis ac mercatorii Professore P. O. T. I. & II. 8. 1800. 4. II.